



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MOCOËN. - SIBUNDOYEN.** *IN COLOMBIA
NOVA DIOECESIS

MOCOËNSIS-SIBUNDOYENSIS APPELLANDA ERIGITUR. Catholica fides in Vicariatu Apostolico Sibundoyensi, pastoralis curae Congregationis Sanctissimi Redemptoris concredito, haud parva cum recenter susceperit incrementa, visum est opportunum iisdem in finibus novam dioecesim constituere. Suadente igitur Congregatione pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa acceptoque favorabili voto quorum interest, Vicariatum Apostolicum Sibundoyensem ad gradum et dignitatem dioecesis provehimus, quae quidem in futurum *Mocoënsis-Sibundoyensis* appellabitur, eamque Metropolitanae Ecclesiae Popayanensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Sedem novae dioecesis in urbe *Sibundoy* ponimus, ecclesiamque ibidem exstantem Deo in honorem Sancti Alfonsi Mariae de Liguori dicatam ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus, ecclesiam autem in urbe *Mocoa* in honorem Sancti Michaëlis Archangeli dicatam ad dignitatem ecclesiae concathedralis extollimus, iuribus omnibus ac privilegiis concessis quae ad tempia eiusmodi spectant. Quod autem ad novae dioecesis pertinet regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, sede vacante administratoris electionem, fidelium iura horumque similia, serventur quae sacri canones praescribunt. Ad haec omnia perficienda delegamus Venerabilem Fratrem Beniaminum Stella, Archiepiscopum titulo Midilensem atque Nuntium Apostolicum in Columbia, necessarias et opportunas eidem tribuendo facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Has denique Litteras Nostras firmas esse nunc et in posterum volumus, quibuslibet rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

Apost.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana